

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Clericus 1
cum uariis

Vnde clericis exuberare estimas rerum affluenciam, uestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem uasorum argenteorum et aureorum, nisi de bonis ecclesie? Inde est quod illa pauper et inops et nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hyspida; propter quod non est hodie ecclesiam ornare sed spoliare, non est custodire sed perdere, non est defendere sed exponere, non est instruere sed prostituere; non est pascere gregem sed mactare et deuorare, dicente Domino de illis: qui deuorant plebem meam sicut escam panis.

Bernardus super Cantica sermone LXXVIII.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

clericis] clericus P V¹; estimas] existimas] P V¹ V² L¹ L²; luxuriem] luxuriam P V¹ V² L¹ L²;
hyspida] hospida V¹